

Erat autem in TRIERO admirabilis harum virtutum omnium copulatio et concentus, qui hoc plus habebat decoris, et ad animos omnium commendationis, quod eae virtutes omnes communem reatricem et moderatricem habebant castam eandemque modestam aduersus Deum et religionem reuerentiam atque pietatem, per quam omnis alia virtus perfectionem accipit et sinceram decus.

Tota Viri domus erat temperata ex optima illa disciplina, quae amando docet atque discit, imperat et paret. Hic habitabat ea, quam *Muciani Rufi*, Canonici Gothani museum, titulo in foribus posito, profitebatur, *Beata tranquillitas*. Agnoscebatur sedes Domini diuitis, liberali, sine magnificentia aut profusione, cultu, multo magis liberalissima beneficentia in miseris et alienae opis indigentes, quae nunquam frustra implorabatur; in qua aemulam habuit olim Coniugem, reliquit etiam Filiam. Sed ad omnium sensuum suorum lenitatem, moderationem, generositateque formarat illa sua disciplina vtramque, nec minus priuignam, *Ioannam Christianam Graeuianam*, nunc *Iac. Frid. Kefii*, Viri Ill. Coniugem, Matronam primariam, quam non aliter ac suam ipsius filiam habuit, omni genere paternae beneuolentiae ac liberalitatis complexus, ipse vicissim ab ea, ad finem vsque, filiae naturalis pietate cultus. Et habuerat vtraque Parentis obsequio ac pietate colendi normam et exemplum Ipsum, cuius ea in Socrum, *Sinneriam*, pietas semper, id obsequium fuit, vt ab ea filii in modum amaretur, et testamento heres vnus scriberetur. Sed qualis ipse erga *Sinneriam* fuerat, talem habuit erga se animo et adfectu generum amplissimum, qui et nunc nihil libentius, quam prolixum et paternum eius in se animum, praedicat.

Foris, et in republica gerenda, iustitiae, fidei et vtilitati publicae omnia tribuebat, nihil gratiae, aut sibi ac studio suo. Sed iustitiae feueritatem ita lenitatis, comitatis, et aequitatis opinio mitigabat, vt placatos sibi et aequos haberet, etiam quorum contra spem aut voluntatem fecisset ac decreuisset. Omnino praeclarum reipublicae administrandae et efficax ad-
iumentum